Elegia novissima;

qva

Pios Manes

VIRI

Nobilissimi, Spectabilis atq; Consultissimi

DN. DANIELIS WACHSCHLAGERI,


Judicii Palæopolitani Assessoris gravissimi, & de Republ. patria bene meriti

Die XI. Octobr. post horam II. pom. inter preces hymnosq; devotissimos adstantium placide defuncti, & XIV. ejusdem monumento Majorum solenniter illati.

Anno M. DC. XCIII.

lugere voluit,

M. MARTINUS Böhm/
Prof. Publ. & Vis.



THORUNII,
Prelo Gymnasii, excudebat JOHANNES BALTHASAR BRESLER.

Lumina sicca mihi nondum, cum funera flerem,
quæ Thorunensis nunc tumulavit humus.
Nondum *Scheferii* perierunt mente dolores,
quos peperit subito mors inopina mihi.
Prætereo reliqvos tacitus, qvos traxit acerbus
ex vitis obitus surripuitq; solo.
Intra tres menses, quot non cecidere fideles
Christiadæ? fati quot subiere jugum?
Libera nulla domus nostra reperitur in urbe,
a morbo, lethi multipliciq; malo.
Ille gemit mortem peramandæ conjugis acrem,
alter filioli, filiolæq; necem.
Illa gemit raptum diro necis ense maritum,
hic Patris, hæc Matris tristia busta dolet.
Vix vix in nostra conspexeris urbe plateam,
e qva non tulerit fœmina virq; pedem.
Funera densantur: sed qvis capit ista dolore
sollicito? mortem qvis putat esse simul?
Impietas, fastus, fraus & discordia latas,
cum variis furtis aperuere fores.
O DEUS in qvæ nos servasti tempora! qvot non
duratis collis incubuere mala?
Hæc ego dum tacita mecum meditabar avenâ,
nescio qvis nobis talia dicta refert:
Publica qvid qvereris turbæ malefacta malignæ?
crimina cur urbis voce tremente gemis?
Est aliud, qvod te, mentem cum corpore vexat,
est aliud, quo te pertrahit ipse dolor.
En! Wachschlagerus periit sincerus Achates,
Hospes percharus, munificusq; Parens.
Huc, huc verte oculos lacrimans, hic sponte qveraris,
privatæ sortis tristia fata tuæ.
Sic patitur magnam mens candida sæpe ruinam.
ejus dum subito firma columna cadit.
Nec tamen immodico pascas tua corpora luctu,
vivit in æterna Duxq; Deusq; domo.
Obstupui, steteruntq; comæ, vox faucibus hæsit,
dum tanta privor prosperitate miser.

Nec

Nec refero tantum mea commoda, qvæ modo cessant,
publica sunt nobis nunc recitanda pie:
Wachschlager fuerat decus urbis, gloria Patrum,
flos roseus, Patriæ portio magna suæ.
Justitiam, rectumq; pius dilexit honestum,
inq; foro cunctis arbiter æqvus erat.
Huic respondendi de jure erat ampla facultas,
huic par affectus cordis & oris erat.
Fraudis, neqvitiæ, livoris & ambitionis,
inter concives strenuus hostis erat.
Romanos pulchre sermones ore sonabat,
& nitidis potuit verba ligare modis.
Magnanimam mentem *Generosi* voce *Parentis*,
ediderat, tristis qvem mea Musa dolet.
Vir probus & justus, qvi publica, non sua, zelo
tractavit vigili, nocte dieq; tenax.
Oeconomus fuerat prudens, cui cura Senatus
Magnifici in curam prælia bina dedit.
His ita prospexit feliciter atq; benigne,
ut laudet studium Zoilus ipse probum.
Auxit fortunas urbis, sua commoda sprevit,
noluit ac illis multiplicare domum.
Heu voces, heu verba viri divina, memorq;,
ingenium, qvo vis nunc tua multa loco est?
Gloria sed major morum est, & vita probata,
qvæ nunqvam a recto devia jure fuit.
Sacratam coluit Scripturam plenius ille,
qva duce promeruit præmia summa poli.
Ante duas licet hebdomadas febrilis adussit
morbus eum, calidus torruit atq; calor:
Ut sibi non constans aliqvando multa referret,
qvæ rectis animis displicuisse solent;
Attamen ereptus febri, velut igne voraci,
misit devotos ore animoq; sonos.
Ah qvoties sacros cantavit sedulus hymnos!
Ah qvoties fudit corde gemente preces!
Si Tibi, sic dixit, *Pater optime sancteq; possum
in laudem vitæ ducere fila meæ.*

Fiat!

Fiat! sin vero hæc mihi commoda nulla salutis
adferet: En Christi sangvine tutus ero!
Tu qvi de nihilo cœlum terramq; creasti,
non, cum carne mea, me nihil esse sines.
Hac spe nil mortem facio, nil omnia curo,
nil nihili vermes posse nocere scio.
Dixit & post aliqvot parva intervalla dierum
Numinis illum vox e statione vocat.
Nos qvid? mœrentes sic solvimus ore loqvelas,
ut Domino placuit: sic animisq; placet
nostris. Supremi sit collaudata voluntas
cœli. Sit nostro gloria summa Deo.
Ad vos jam redeo Juvenes, dulcissima Patris
pignora defuncti: vos mea verba regant.
Vos nimio luctu Genitoris fletis acerbam
mortem, his in terris qvi Deus alter erat.
Vos, inqvam, macti sitis virtute paterna,
& studio studiis invigilate pio.
Non vos seducat mundi fallacia, nec vos
præcipites vitii turba maligna trahat.
Vos cum CHRISTINA crescatis tempore qvovis
in laudem magni munificiq; DEI.
Te qvoq; *par fratrum*, qvi fratris fata doletis,
sublevet ex alto gratia dia polo.
Uni restituat vires firmumq; vigorem
corporis: alterius firma sit ara DEUS.
Ne fratrem subita ploretis morte peremptum,
cuiq; dies certum est fata dedisse suos.
Et nos, cum Superi statuent, veniemus ad illum.
Nemo parum vixit, cui pia vita fuit.

(o)